


224



209

222

228

asini me levavit, et in declivis et asperis viis me tenuit, ne
caderem, aquam de sua amphora mihi praebuit, et de suis
paximaciis mihi dedit; ad hortos per macerias ascendens
intravit et mihi inde ficus et uvas et poma attulit. Stimulum
suum, quo utebatur (S1 A) pro asino suo, mihi dedit, cum
tamen alii asinarii non patientur, quod peregrini habeant
stimulos ad pungendos asinos. Propter tanta servitia aestima-
bant nobiles et socii mei, quod ei multos denarios occul-
darem: sed non fuit ita, nihil enim penitus dedi ei, nisi ad
quod obligabar. Ego saepe cogitavi, quod forte suspicaretur,
me esse aliquem magnum dominum, et quod ideo ita sedule
mihi ministraret. Hanc enim fortunam in utraque peregrina-
tione habui, quod nullus Sarracenus, nec Arabs, nec Ma-
dianita, nec Mamalucus, cum quibus conversatus fui, unquam
mihi aliquam molestiam intulit, nec possum dicere de percus-
sionibus et vexationibus personae meae illatis, quamvis alias
peregrinos saepe viderim graviter percuti et vexari. Semper
habui bonas bestias in utraque peregrinatione, et cum hoc
sanus et fortis mansi, Deo sit laus.

Recessus peregrinorum a mari in asinis.

Evagatione maris peracta nunc procedendum est ad evagationem terrae. Cum ergo, ut praemisi, ad gregem asino-
rum venissemus, et jam cuncti cum bestiis essent provisi,
desuper sedimus in litore maris, et ibi aliquantulum exspec-
tavimus, donec domini Mauri essent parati. Erant autem
aliqui peregrini, qui ex devotione nolebant asinos habere, sed
currere post exercitum volebant. Quod quidem admiserunt
Sarraceni, et placuit eis: dummodo tantum current, quantum
nos in asinis de via faceremus, et non post exercitum sed in
exercitu irent. Sed dum procederemus festine, non poterant
illi comitari nobiscum propter festinantiam et propter viam
arenosam: et ideo sua necessitas cogebat eos accipere asinos.
Nec est verum, quod apud nos solent dicere, quod Sarraceni
nos cogant in asinis ascendere in Jerusalem et terram sanctam
per transire, quia aestiment nos indignos, ut pedibus terram
calcemus. Non curant, utrum peregrinus pedibus incedat vel